celestis ordinis secundum .m. tullium.

Proslambanomenos.	Luna.
Hypate ypathon.	Mercurius.
Parypate ypaton.	Uenus.
Lichanos ypaton	Sol.
Hypate meson.	Mars.
Parypate meson.	Iuppiter.
Lichanos meson.	Saturnus.
Mese.	Celum.

secundum boetium.

Hypate meson.	Saturnus.
Parypate meson.	Iouis.
Lychanos meson.	Mars
Mese.	Sol.
Trite sinemenon.	Uenus.
Paranete sinemenon.	Mercurius.
Nete sinemenon.	luna.

QUI NERUI QUIBUS SIDERIBUS COMPARENTUR

Illud tamen interim de superioribus thethracordis addendum uidetur quod ab hypate meson usque ad neten quasi quoddam ordinis disiunctionisque caelestis exemplar est. Namque hypate meson saturno est adtributa Parhypate uero iouiali circulo consimilis est. Lichanos meson marti tradidere. Sol meson obtinuit. Triten sinemmenon uenus habet. Paraneten synemmenon mercurius regit. Neten autem lunaris circuli tenet exemplum. Sed marcus tullius contrarium ordinem facit. Nam in sexto libro de republica sic ait. Et natura fert ut extrema ex altera parte grauiter ex altera autem acute sonent; Qua ob causam summus ille caeli stellifer cursus cuius conuersio est concitatior acuto et excitato mouetur sono. Grauissimo autem hic lunaris atque infimus. Nam terra nona immobilis manens una sede semper heret. Hic igitur tullius terram quasi silentium ponit scilicet immobilem, Post hanc qui proximus a silentio est dat lunę grauissimum sonum ut sit luna proslambanomenos; Mercurius hypate hypaton; uenus parhypate hypaton Sol lichanos hypaton; mars hypatemeson Iuppiter parhypatemeson Saturnus lichanos meson Caelum ultimum mese. Quae uero sint hae immobiles quae uero in toto mobiles quae autem inter immobiles mobilesque constitutae Cum de monocordi regularis diuisione tractauero erit locus aptior explicandi;

QUAE SIT NATURA CONSONANTIARUM

xxviii Consonantiam uero licet aurium quoque sensus diiudicet tamen ratio perpendit. Quotiens enim duo nerui uno grauiore intenduntur simulque pulsi reddunt permixtum quodammodo et suauem sonum duaeque uoces in unum quasi coniunctae coalescunt tum fit ea quae dicitur consonantia. Cum uero simul pulsis sibi quisque ire cupit nec permiscent ad aurem suauem atque unum ex duobus compositum sonum tunc est quae dicitur dissonantia

UBI CONSONANTIAE REPERIANTUR

xxviiii In his autem comparationibus grauitatis atque acuminis has consonantias necesse est inueniri quae sibi commensuratae sunt id est quae notam possunt communem habere mensuram. ut in multiplicibus duplum quod est illa pars metitur quae inter duos est in mos differentia ut inter duo et quattuor binarius utrosque metitur. Inter duos atque sex quae triplae binarius utrosque metitur; Inter nouem atque octo eadem unitas est quae utrosque metiatur. Rursus in superparticularibus si sesqualtera sit proportio ut quattuor ad sex est binarius qui utrosque metiatur. Qui scilicet utrorumque est differentia; quod si sesquitertia sit proportio ut si octo senario comparentur idem binarius utrosque metitur Id uero non euenit in ceteris generibus inaequalitatum quae supra retulimus ut in superpartiente. Nam si quinarium ad ternarium